



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

IV. Vtrùm semper fuerit, vel nunc sit necessaria necessitate mediæ fides
explicita Trinitatis, & Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

guntino cap. 7. de iustificatione dicente, *Præuenientem gratiam, cum per alia media, tum potissimum in predicatione Verbi ad conversionem hominis operari.* Ergo seclusa etiam predicatione Verbi diuini, quæ ad fidem strictam necessaria est, potest esse gratia præueniens ad conuersionem. Respondetur, esse quidem alia media præter predicationem, nempe lectionem librorum piorum, illuminationem internam, & alia similia. Omitto alia argumenta leuiora, quæ ex dictis facile solui possunt: hæc sufficiat breuiter tetigisse, vt mentem meam circa hoc placitum manifestarem. Nam licet olim probabile existimauerim, dari concursum supernaturalem Dei, quoties occurrit occasio actus honesti, etiam si non ex fide proponeretur, nunquam tamen dixi, posse absque propria fide, & stricta hominem adultum iustificari, & postea etiam magis attentè considerata Conciliorum, & Patrum mente, concursum illum ita vniuersalem supernaturalem ad omnes virtutes morales, deficiente etiam fidei propositione, negaui.

SECTIO IV.

Vtrum semper fuerit, vel nunc sit necessaria necessitate mediæ fides explicita, Trinitatis, & Christi.

82 *Fides explicita quamnam dicatur.*
DE hoc latè, & optimè Suarez in *presenti disput. 1. 2. sect. 4.* Supponendum autem est, fidem explicitam appellari, quæ sufficit ad reddendam rationem de tali obiecto in particulari, v.g. de incarnatione, aut Christo. Implicita verò ad id non sufficit, qualis est fides, qua rusticus credit, & tenet omnia quæ credit Romana Ecclesia; ex vicuius fidei non poterit respondere, an credat, iustificationem fieri per formam in harenem, & alia eiusmodi. Quare de fide implicita horum mysteriorum non est quæstio: ad minus enim omnes, & singuli fideles credebant, vera esse omnia, quæ Deus reuelasset, in quibus continebatur aduentus Christi, quem Deus iam aliquibus reuelauerat; alioquin non potuisset esse quæstio de necessitate fidei de hoc mysterio, si nulla præcessisset reuelatio, cum nunc nulla potuisset esse fides illius.

83 *Fides explicita plures gradus.*
Rursus fides explicita Incarnationis diuiditur bene à Suarez *dicta sect. 3. num. 16.* in plures gradus magis, & minus expliciti. Primus gradus est, quando Deus creditur, vt iustificator, & saluator hominum per media ab eo disposita, non cogitando de mediis in particulari, quorum vnum est Incarnatio. Secundus gradus est, quando creditur aliquis redemptor, & mediator inter Deum, & homines ad illos saluandos, non cognoscendo modum redemptionis, nec an mediator ille sit Deus. Tertius gradus est, quando crederetur etiã diuinitas Redemptoris, ignorato modo redemptionis. Quartus denique gradus est, quando creditur explicitè diuinitas, & humanitas Christi, & modus, quo per passionem, mortem, & resurrectionem consummanda esset redemptio nostra.

84 *An in iis qui Christum præcesserunt, necessaria fuerit fides de ipso explicita necessitate mediæ.*
Hoc supposito, quæritur in primis, an in iis, qui Christum præcesserunt, necessaria fuerit fides de ipso explicita necessitate mediæ. Affirmant aliqui, Corduba in *suo questionario lib. 2. qu. 5. ad 3. Lorca disp. 21. num. 4.* licet postea *num. 11.* vi-

deatur ab ea sententia discedere; idem tenet P. Coninch *disp. 14. dub. 9. num. 147.* qui tamen loquuntur de fide explicita mediatoris secundo modo explicita. Aliqui volunt, hoc non intelligi de iis, qui fuerunt in statu legis naturæ, sed de iis, qui legem scriptam acceperunt, ita Aragonius in *presenti quæst. 2. art. 5. conclus. 4. & 5.* quem sequitur granado *controuers. 1. tract. 10. disp. 2. sect. 2. num. 11.* & fauer Alensis 3. *part. quæst. 69. memb. 3. art. 1. ad 2.* & denique de vtrisque hominibus probabilem putat talem necessitatem Suar. *disp. sect. 3. num. 17.*

Contraria communis, & verior sententia est negans pro eo tempore talem necessitatem illius fidei explicitæ vt mediæ, quam vt cerè supponit Valentia in *presenti quæst. 2. puncto 4. propositione 1.* eandem tenet Suar. *vbi supra num. 17.* Turrianus *disp. 27. dub. 3.* Thomas Sanchez *lib. 2. in decalog. cap. 2. num. 7.* Hurtado *disp. 44. sect. 1. §. 1.* & sumitur ex S. Thoma *quæst. 2. art. 7. & clarior in 3. disp. 25. quæst. 2. art. 2. quæstionula 2.* & aliis, quos avertit Suarez *n. 14.*

Probatum primò ex illo Pauli ad Galat. 3. *Atrequam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ reuelanda erat.* vbi statum legis antiquæ videtur appellare implicitum, & obsecrum respectu posterioris fidei explicitæ; licet hæc verba alium possint habere sensum, vt postea videbimus. Probari etiam potest ex Chryostomo *homil. 37. in Math.* vbi ait, multos gentiles saluos fuisse sine fide explicita Christi, idem docet Clemens Alexand. *lib. 5. & 6. Stromatum.* Euseb. 7. *preparationis cap. 3.* Irenæus *lib. 2. contra hæreses.* Hugo de S. Victore *lib. 1. de sacramentis parte 10. cap. 6.* Bernardus *epist. 77.* & alij apud eundem Suarez. Ratione probatur, quia fides explicita Christi, neque ex natura rei, neque ex decreto Dei erat necessaria ad iustificationem, non quidem ex natura rei, vt patet; nam sufficit cognitio vnius Dei remuneratoris supernaturalis ad excitandum actum dilectionis, & contritionis, neque Paulus aliud exigit ad Heb. 11. in illis verbis: *Accedentem ad Deum oportet credere, &c.* Sed neque ex decreto Dei, cum neque ex Scriptura, neque ex Concilio constet ergo cum aliis de cognitio illa explicita Christi difficilis esset, non est cur ab omnibus exigeretur necessitate mediæ. Quod si aliqua sunt testimonia, quæ oppositum videantur insinuare, facile explicatur de fide implicita, vel de fide Christi, non vt obiecti, sed vt causæ meritorie, propter quæ scilicet dabitur fides, & iusticia, vel de necessitate præcepti, vt postea dicemus difficultate sequenti, ex cuius definitione amplius constabit à fortiori hæc conclusio.

Confirmari potest ex Tridentino *sess. 6. c. 1.* dicente, ante aduentum Christi mysterium illud fuisse à Deo aliquibus Patribus declaratum, ac promissum, vbi significatur, non fuisse omnibus generaliter manifestum, atque adeo fidem illam explicitam non fuisse omnibus necessariam, quia media omnibus necessaria, omnibus communicantur. Quo argumento vtitur Suarez *n. 15.* non est tamen satis efficax: quia licet nõ omnibus, sed aliquibus fuerit immediatè reuelatū, per illos tamen tanquam per Principes, & capta fides illa proponi potuit aliis omnibus, & loquedo de necessitate præcepti, difficile est, quod posteri saltem A brahæ; quibus circuncisio imposta fuit tanquam signum & protestatio Messie venturi, non haberint obligationem credendi, & profitendi aduentum

aduentum futurum Messiae toties à Deo illis propositi, & prænuntiati. Similiter nec videtur efficax argumentum, quod affert ibidem Suarez ex eo, quod antiqui non habebant notitiam, vel fidem explicitam peccati originalis, in cuius remedium Christus venturus erat. Nam, quidquid sit, an cognoverint explicitè peccatum originale, certum tamen est, eos de facto credidisse communiter Messiam venturum, imò & hodie falsò id credunt Iudaei: potuit ergo exigi vna fides explicita sine alia.

87

Obiici solent aliqua loca Augustini, qui videtur necessitatem talis fidei explicitæ posuisse in omni statu. De his tamen dicendum est difficultate sequenti. Difficilius obiici posset Nazianzenus oratione 20. de sanctis Machabris vbi generaliter dicit: *Quin etiam mystica quadam & occulta ratio mihi quidem, atque omnibus Dei amatoribus valde probabilis est, neminem eorum, qui ante Christi aduentum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse.* Quæ verba Hurtado vbi supra §. 2. explicat de fide implicita in Christum. Sed Nazianzeni verbis sine violentia applicari hæc explicatio non potest. Præmiserat enim ab aliquibus Machabæos non ita honorari, eo quod Christum præcesserant. Ad quod respondet, imò ideo magis esse honorandos. *Qui enim ante Christi supplicia martyrium subierunt, quid tandem erant facturi, si post Christi tempora vexati fuissent, eiusque mortem nostræ salutis causa susceperam ad imitandum propositam habuissent; Nam qui nullo huiusmodi exemplo ob oculos posito, tanta virtutis laude floruerunt, cui dubium esse potest, quin iidem tale exemplar intuentes, multo generosius, fortiusque se se periculis obicituri fuerint.* Postea verò addit, non passos fuisse absque Christi recordatione, scilicet explicita, nam implicita illa, qua credebatur Deum esse iustificatorem per aliqua media sibi ignota, impertinens esset ad propositum, quod manifestus patet ex verbis sequentibus: si enim de fide illa solum implicita loqueretur, non debuisset dicere, id sibi probabile esse; nec illam esse mysticam, & occultam rationem; imò aperta, manifesta, & certa omnino ratio esset, de qua nemo vnquam dubitasset, omnes iustos fideles, & martyres antiquos, fidem implicitam Christi habuisse, cum omnes crederent in communi, vera esse quæcunque Deus reuelasset, & Deum etiam iustificatorem, & saluatorem hominum esse per media ipsi cognita: non ergo agebat Nazianzenus de fide illa solum implicita in Christum, sed de alia magis explicita, quæ probabile putat fuisse de facto in omnibus martyribus antiquis: non enim loquitur de omnibus fidelibus, sed de aliquibus eximis, quales in primis fuerunt martyres, qui olim non multi fuerunt. Quam fidem explicitam Christi non dicit fuisse illis necessariam necessitate mediæ: nam licet in versione supra relata dicat, *neminem martyrum id sine fide in Christum consequi potuisse.* in versione tamen Billij solum dicit, non esse de facto consequutum; & reddit rationem, quia mentibus puris, hoc est, puritate cordis spirituali nitentibus, Deus eiusmodi notitiam communicare solebat. Verba ipsius ex translatione Iacobi Billij hæc sunt. *Ac simul ardua hæc doctrina est, nec mysterio vacans, mihi quidem, piisque omnibus viris admodum probabilis: neminem videlicet eorum, qui ante Christum naturam martyrio perfuncti sunt, id citra Christi*

fidem esse consequutum. Quamquam enim verbum suo postea tempore liberè promulgatum est: puris tamen animis etiam ante innotuit: quemadmodum ex multis, qui ante ipsius natiuitatem honoribus effecti sunt, liquido perspicitur potest. Ex quibus verbis argumentum potius delumi potest pro nostra sententia: si enim solis puris animis ea notitia explicita Christi communicabatur, non ergo erat necessaria necessitate mediæ ad salutem; alioquin omnibus fidelibus debuisset communicari, non solum puris, sed etiam iustis minus puris, atque etiam peccatoribus.

Secunda ergo difficultas est, vtrum saltem in statu legis gratia requiratur de necessitate mediæ fides explicita Christi. Prima sententia docet, requiri fidem explicitam Christi, non quidem ad primam iustificationem, sed ad gloriæ consequutionem. Ita Canus in relect. de Sacrament. in genere parte secunda conclusione 3. Ioan. de Bononia tract. de predestinatione in responsione ad obiectiones. Ledesma, Castro, Bañes, & Aragon. quos refert Suarez vbi supra sect. 4. num. 9. fundatur autem hæc sententia potissimum in eo quod Cornelius act. 10. cum esset iustus, necesse habuit instrui à Petro de fide Christi, ut saluus fieret, ergo ideo, quia illa fides necessaria erat ad gloriæ consequutionem; deinde, quia hoc pacto videtur solui difficultates vtriusque extremi: si enim dicas fidem explicitam Christi esse necessariam ad primam iustificationem, difficile videtur, quomodo homo credens in Deum, & inuincibiliter ignorans mysterium Christi, non possit conteri ex Dei dilectione ad iustificationem; si verò dicas, fidem Christi non esse necessariam, obstant plura Scripturæ, & Patrum testimonia, quæ videntur per hanc sententiam conciliari.

88

An saltem in statu legis gratia requiratur necessitate mediæ fides explicita Christi. Prima sententia.

Cæterum hæc sententia communiter reicitur, & merito, nam in primis testimonia scripturæ si quid probant, probant etiam de prima iustificatione, ut ex eorum verbis, quæ postea proponemus, manifestè constabit: non enim loquuntur de gloria, sed de iustitia, & remissione peccatorum. Deinde, quia gratia affert secum semper ius ad gloriæ, ergo ea solum ad gloriæ requiruntur, quæ requiruntur, ad primam gratiam; ideo in scriptura solum requiritur ad gloriæ carentiam peccati, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* 2. ad Timoth. 2. *non coronabitur, nisi, qui legitime certauerit.* Denique Augustinus sæpe arguit contra Pelagium asserentem paruulos non baptizatos carere omni peccato, & tamen excludi à Regno Dei; ergo si iustificatus sine fide explicita Christi caret omni peccato, non est cur non possit assequi regnum; præfertim cum possit contingere hominem statim post primam iustificationem mori antequam habeat fidem explicitam Christi. Addit Suarez n. 16. posse cathecumenum esse sufficienter instructum circa alios articulos, & petiisse baptismum, & incidere mortis articulum cum carentia vsus rationis: quo casu nemo dicit non esse baptizandum, si autem baptizetur, & moriatur, saluabitur vtrique cum doluerit antea de peccatis: ergo consequetur gloriæ absque fide explicita Christi.

89

Secunda sententia satis communis docet, fidem explicitam Christi necessariam esse, ut medium in lege gratiæ ad primam iustificationem. Hanc vltra alios quos referunt, tenent Valencia vbi supra, Locca in presenti disput. 2. 2. & Thomas Sanchez in primo præcepto decalogi lib. 2. cap. 2. licet

90

Secunda sententia.

explicitam totius doctrinæ Euangelicæ esse de necessitate mediæ, imo nec præcepti; requiritur tamen fides implicita circa omnem illam doctrinam item illud Act. 16. ubi interroganti, *quid me oportet facere, ut saluus sim?* Respondit Paulus, & Silas: *Crede in Dominum Iesum, & saluus eris.* & illud Ioann. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Filij Dei, &c.* & cap. 8. *Qui incredulus est Filio, ira Dei manet super illum, & illud ad Rom. 10. Si confitearis ore tuo Dominum Iesum, & corde credideris, quod Deus suscitavit illum a mortuis, saluus eris.* Vbi certum est, non agere Paulum de necessitate mediæ, alioquin confessio etiam externa fidei esset medium necessarium, quod nemo dixerit.

Alia sunt loca, quibus fides Christi ponitur ut necessaria, & ut fundamentum: non tamen agitur tam de fide Christi ut obiecti, quam de fide Christi, ut causæ meritorij, & ut distinguitur à notitia legis, ex qua non iustificatur homo, sed ex gratia, seu fide per Christum: nam, ut ait Augustinus de fide & operibus, cap. 16. non solum fides Christi appellatur, qua Christum credimus, sed quam per Christum accepimus: qui modus loquendi familiarissimus est Paulo, præsertim tota epistola ad Rom. vnde cap. 3. ait. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eo;* & subdit: *iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, que est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum in iustificatione Dei ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, ut sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi, quo loco planè non loquitur solum de iustis novi testamenti; sed de omnibus iustis, ut constat ex illis verbis, propter remissionem præcedentium delictorum.* Non fuit autem omnibus iustis necessaria fides explicita Christi, ut supra vidimus, & fatentur aduersarij, ergo fatendum est, paulum non tribuere virtutem iustificandi fidei in Christum, ut in obiectum, tanquam causæ necessariæ, sed ut causæ habenti sufficientem virtutem ad iustificandum inchoatiuè, sicut eam etiam habet fides in Deum. Fides autem Christi ut principij meritorij, est causa necessaria omnibus in vtroque testamento, quia omnis fides per quam iustificati sunt, provenit à meritis Christi. Hoc etiam spectat illud ad Galatas 2. *scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Et illud. *Et nos in Christo credimus, ut iustificemur ex fide Christi,* ubi cum prius agat de fide, per quam semper homines iustificati sunt, non potest inferre necessitatem fidei explicitæ in Christum ad iustitiam, sed inferre particularem ex vniuersali; quia scilicet semper iustitia oritur ex fide per Christum, ideo nos habemus fidem in ipsum Christum, quæ à fortiori erit per Christum, ut per ipsam iustificemur. Et illud: *nam in Christo Iesu neque circumcisio ali-quid valet, neque præputium, sed fides, que per charitatem operatur, &c.* Et illud act. 4. *Non est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Nec longè abest illud Pauli 1. ad Cor. 3. *ut sapiens architectus fundamentum posui unusquisque videat quomodo superedificet: fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Vbi non est specialis sermo de fide explici-

ta Christi, quasi ea sola sit vnicum, & necessarium fundamentum iustitiæ: alioquin fides explicita Trinitatis non esset necessarium fundamentum, quod est cõtra aduersarios, qui æquiuolenter docent necessitatem vtriusque notitiæ: potest ergo Paulus intelligi de fide Christiana, seu doctrina Christi, quæ quidem est fundamentum iustitiæ; nam sine hac fide nemo potest iustificari: in quo sensu accipienda sunt verba Gregorij re-lati in cap. cum Paulus 26. 1. quæ st. 1. *Cum Paulus, inquit, dicat, fundamentum aliud nemo potest ponere, &c. consequenter probatur, quod ubi Christus fundamentum non est, nullus boni operis potest esse edificatio.*

Alia etiam sunt testimonia, quæ solum probant, notitiam explicitam Christi habere virtutem ad iustificandum eo modo, quo iustificari possumus per fidem: non verò probant necessitatem talis notitiæ: quale est illud Ioann. 3. *exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat.* Et illud Pauli ad Rom. 3. *Iustitia Dei in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Et illud Ioann. 6. *qui credit in me habet vitam eternam.* Et Ioann. 11. *Omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum;* & illud Ioann. 17. *hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Et Ioann. 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius,* alibi sæpè. Quæ omnia si probarent necessitatem fidei explicitæ Christi, probarent etiam contra aduersarios illam solum sufficere, sine fide explicita Trinitatis; potest enim benè cognosci explicitè Christus, sine fide explicita Spiritus sancti.

Afferri etiam solet testimonium Pauli ad Galat. 3. *sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur omnes, in eam fidem, que venenda erat. Vbi videtur Paulus significare, ante aduentum Christi fuisse necessariam notitiam implicitam Christi, in qua, tanquam in nebula, inclusi erant fideles, donec adueniente Christo reuelata fuit ea fides, & facta explicita, itaut sicut antea exigebatur implicita, iam exigatur explicita. Verùm ex hoc loco nihil probatur, nam licet demus, Paulum loqui de fide implicita Christi, & sub ea dicat olim contineri iustos, vsque ad Christi aduentum; non tamen dicit fidem illam implicitam fuisse olim necessariam, nec modò esse necessariam explicitam, sed solum, quod PP. antiqui habuerint implicitam, & nos explicitam. Alij tamen verba Pauli aliter intelligunt, non de fide implicita Christi, sed de lege Moylis, intra quam tenebatur homines metu pænæ, vsque ad legem gratiæ, quæ est lex amoris. Denique alij dicunt, Paulum in illis verbis: *prius autem quam veniret fides:* non loqui de prioritate temporis legis scriptæ ad tempus legis gratiæ; sed de prioritate secundùm considerationem nostram, qua etiam ante aduentum Christi considerabatur homo præcisè cum notitia legis, sine spiritu fidei, quæ etiã tunc dabatur per Christum; nam in illa priori consideratione erat quasi inclusus in carcere legis, quæ sola sine aduentu Christi futuro non dabat vias ad non peccandum; donec consideraretur idem homo per aduentum Christi futurum habet spiritum fidei, à quo poterat iustificari.

Vltimò affertur locus Act. 10. ubi Cornelius Centurio vir iustus, religiosus, ac timens Deum, cuius

96

97

98

cuius orationes, & eleemosynæ acceptæ erant coram Deo, admonitus tamen fuit ab Angelo, vt vocaret Petrum, qui prædicaret ipsi fidem Christi, vt saluus fieret. Ex quo loco infert Augustinus necessitatem notitiæ Christi de prædestinatione Sanctorum cap. 7. vbi de Cornelio sic ait: *Cuius acceptæ sunt eleemosynæ, & audita orationes, antequam credidisset in Christum. Nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat: nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum adificandum mitteretur architectus Apostolus Petrum.* Verum hic locus videtur probare plusquam intendit contraria sententiæ; cum enim Cornelius esset iam iustus, ergo si adhuc indiguit fide explicita Christi, non ideo fuit, quia hæc esset medium necessarium ad iustificationem, sed ad gloriæ consequitionem, vt volebat Canus. Dicunt, in Cornelio, licet iam esset iustus, fuisse necessariam, quia Cornelius iustificatus fuerat vigente adhuc statu veteris Testamenti ante Christi ascensionem, quo tempore fides explicita Christi non erat medium necessarium, quare cum postea cœperit esse necessaria, debuit requiri in Cornelio non ad iustificationem, sed ad perseverantiam. Verum in hoc non videntur procedere factis consequenter contra Canum auctores huius sententiæ; nam ipsimet Canum impugnant, quod posuerit aliquod medium necessarium ad ultimam salutem, præter ea, quæ necessaria sunt ad primam. Cum ergo ipsi hoc admittant in Cornelio, & cæteris iustis illius temporis, facile poterit Canus eam necessitatem extendere ad iustos etiã nostri temporis; præsertim quia tunc ex eo solum poterat aliquis iustificari ex fide vnus Dei, quia nondum erat perfectè promulgatum Euangelium in illa regione, ergo cum nunc etiam non sit perfectè promulgatum in multis regionibus, eadem debet ibi ratio militare; imò & circa singulos homines; nam si respectu huius hominis non est perfectè promulgatum Euangelium, & fides Christi, quod refert promulgatum esse aliis hominibus, quominus iste possit iustificari ex fide vnus Dei?

99

Ad argumentum ergo dupliciter possumus respondere. Primò negando, fuisse Cornelium iustum iustitia supernaturali ante aduentum Petri, sed solum iustitia quadam morali, qua regulariter legem naturalem obseruabat, & bonis operibus studebat, licet in aliquo deficeret, vt cum aliis tenet Vasquez 1. 2. disp. 192. cap. 1. & est sententia Chrysostrami tom. 3. in sermone de fide, & lege naturæ, vbi sic ait: &c. *Et vis planè videre: quod opera sine fide non viuificantur? testimonium bonum habuit Cornelius de eleemosynæ, & precibus, & Christum ignorabat: & quia magnus ille iustitiæ, & veritatis index personarum respectum nesciens vidit bona quidem opera, sed mortua, quia fidem non habebat, mittit diuinum Angelum, &c. idem docuit S. Gregorius homil. 9. in Ezech. vbi sic ait: *Vnum sine altero nihil prodesse valet quia nec fides sine operibus, nec opera sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda: sicut Cornelius pro bonis operibus meruit audiri antequam fidelis existeret;* pro quo sunt Basil. in regulis breuioribus, regula 224. Oecumenius in 10. cap. Actorum, & denique Augustinus expressè in multis locis, quæ congerit Vasquez vbi supra. Quare si Cornelius nondum erat iustus, non mirum, quod necesse ei esset instrui à Petro, vt iustificaretur.*

Secundò respondere possumus admittendò, Cornelium fuisse verè iustum apud Deum, etiam ante aduentum Petri, quæ est communis sententia, & videtur colligi ex ipso contextu; adhuc tamen indiguit instructione Petri, quia fides Christi explicita incipiebat obligare præcepto gratiæ in illa regione, vt aduertit Alex. 3. part. quest. 82. memb. 4. art. 2. & constat ex verbis Petri ibi, *Uos scitis quod factum est Verbum per vniversam Iudæam, &c.* Quod si Petrus non veniret ad Cornelium; facile esset ipsum habere ignorantiam vincibilem Christi, & damnari, ad quod periculum præcauendum monitus fuit propter sua opera bona, vt vocaret Petrum.

Secundò asserunt pro se plura testimonia Petrum, quæ congerunt Valentia in præfati quest. 82. puncto 4. & Lorca vbi supra memb. 2. Sed etiam plura loquuntur de necessitate præcepti, quam etiam extendunt ad totum symbolum, & ideo immeritò afferuntur in hac questione: alio loquuntur de fide Christi, id est, doctrina Christi, quam iam supra diximus esse medium necessarium. Alia possunt intelligi regulariter loquentes nam de facto ferè nullus saluus sit sine fide explicita Christi. Alia denique possunt explicari de fide implicita, vel de fide explicita in voto.

Vnus superest Augustinus, cuius verba difficiliorem habent explicationem. Afferri autem solet in lib. de natura & gratia cap. 2. vbi etiam, quod aliquis posset habere salutem sine fide explicita passionis Christi, infert, Christum genus mortuum esse. Sed hic locus vtique potest explicari in eo sensu, quod Augustinus solum neget naturam sibi relictam posse comparari notitiam Dei sufficientem ad salutem sine fide Christi, id est, sine fide per Christum Difficilius loquitur idem Augustinus in lib. de correctiõis & gratia c. 7. & de prædestinatione Sanctorum c. 7. & lib. 2. contra Pelagium, qui est de peccato originali c. 24. & epist. 89. & lib. 1. ad Simplicianum q. 1. vbi videtur exigere expressè cognitionem explicitam Christi. Verum loca Augustini, si aliqui probant contra nostram sententiam, probant etiam eandem explicitam Christi necessariam fuisse eodem modo ante ipsius aduentum, licet in nobis magis explicita sit quoad aliquas circumstantias Incarnationis; nam in prædicta epistola 89. ait, commendari Christum ab Apostolo ad Rom. ad iustificationem, vt sciamus (ait Augustinus) etiam antiquos iustos, quicunque esse perierunt, non nisi per eandem fidem liberatos, per quam liberatus & nos fidem scilicet Incarnationis Christi, quæ illis prænunciabatur, sicut à nobis fuit enunciatum: ideo idem Christum hominem dicit, cum sit & Deus, ne quis antiquis existimet iustos per Deum rantummodo, id est, per Verbum, quod erat in principio non etiam per fidem Incarnationis eius, quæ & homo Christus dicitur liberare potuisse. Hæc Augustinus, vbi vides, non constitui differentiam, ab ipso inter iustos veteris, & noui Testamenti, quod illi omnino implicitè cognouerint medietatem in aliquo vniuersali principio; ait enim habuisse fidem Incarnationis, quæ eis prænunciabatur: non potest autem prænunciari, nisi fiat mentio eius quod prænunciatur: licet hæc fide antiquorum appelleret velatam, & occultam; nostram autem reuelatam, & apertam, quia quoad omnes circumstantias maior sit notitia mysticè in nouo Testamento. Cæterum aliquam notitiam illis fuisse necessariam docet expressè in d. lib. 2.

lib. 2. contra Pelagium cap. 26. vbi ait, ideo illos in resurrectione venturos esse vitæ æternæ, quia in Christo iustificati, ideo autem in Christo vniuersos, quoniam ad illius corpus pertinent, quia & ipsis caput est Christus, & ideo ipsis caput esse, quia vnus mediator Dei & hominis est Christus, quod eis non fuisset, nisi in eius resurrectionem per eius gratiam credidissent: & hoc quomodo fieret, si cum in carne venturum esse nescissent? Hæc Augustinus, quem fateri debemus esse contra aduersarios etiam quatenus fidem explicitam Christi, & multo magis resurrectionis Christi negant fuisse medium necessarium ad salutem in lege veteri, vel si ab eis explicetur loqui de necessitate aliqua morali, quia fides diuina regulariter non poterit alicui proponi sine fide explicita mediatoris, eodem modo poterit explicari de tempore legis gratiæ.

101 Difficilius fortasse explicari possunt verba eiusdem Augustini lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 47. vbi agens de iis, qui olim ex gentibus saluati sunt, ait: *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quem admodum venisse nobis nuntiatus est; et vna eademque fides per ipsum omnes in Dei Ciuitatem, in Demum Dei, in Dei templum prædestinatos perducit ad Deum.* P. Suarez dicta disp. 12. sect. 3. n. 13. relatis his Augustini verbis, fatetur Augustinum in ea fuisse sententia, vt semper necessaria fuerit fides explicita Christi; postea verò n. 17. dicit, explicandum esse Augustinum, sicut eum explicat Hugo de sancto victore, quod necessaria semper fuerit ea fides explicita in corpore Ecclesiæ, non verò in singulis personis; quæ tamen expositio difficilis est, si verba Augustini considerentur. Certè verba illa, si quid probant, non minus probant necessitatem illam pro tempore legis scripturæ, & legis naturæ, quam pro tempore præsentis, cum expressè loquatur de iustis antiquis, qui extra legem scriptam salui facti fuerunt, dici possent, Augustinum ibi non negasse potestatem iustitiæ acquirendæ sine ea fide explicita, sed solum circa questionem de facto in ea sententia, quod de facto nullus fuisset iustus, & sanctus in aliquo statu, qui fidem explicitam vnus mediatoris non haberit. Nam sicut de facto probabile videtur nullum apud Christianos reperiri hominem fidelem & iustum, qui aliquid de Christo non audierit, & crediderit; sic idem apud Iudæos ante aduentum Christi existimari potest, in quibus tam communis erat notitia Messie venturi, quam apud nos Christi iam nati. Extra illum vero populum, qui fideles erant apud gentes, & iusti, vel illuminati fuerant diuinitus per Angelos, vt videtur supponere Dionysius de celesti Hierarchia cap. 9. quem assertit Leonardus Coquæus explicans verba illa Augustini proximè citata de Ciuitate Dei; & hi non est credibile, quod non illuminarentur etiam circa aduentum Christi futurum. Vel notitiam fidei per homines acceperant: & id fieri non poterat, nisi vel quia è Iudæis eam acciperent, vel per traditionem in aliquibus familiis conseruatam & in vtroque casu difficile erat non accipere etiam notitiam Mediatoris futuri, sine qua fides Iudæorum non communicabatur, & quæ etiam ex traditione Patriarcharum simul cum notitia veri Dei conseruabatur apud eos, in quibus conseruabatur vera

religio, & fides vnus Dei. Quidquid tamen sit circa factum, nobis sufficiat, hanc non esse necessitatem medij, sine quo non sit potentia iustitiæ, vel gloriæ comparandæ.

Video, vt geri adhuc possit ex eodem Augustino alibi exigente hanc fidem explicitam, vt homo possit iustificari à peccato. Nam lib. 2. de gratia Christi, qui est de peccato originali, c. 24. Sic loquitur; *Itaque sine ista fide, hoc est, sine fide vnus Mediatoris Dei, & hominum, hominis Christi Iesu, sine fide, inquam, resurrectionis eius, quam Deus hominibus desiniuit, quæ vniuersæ sine Incarnatione eius, ac morte non potest veraciter credi: sine fide ergo Incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos iustos, vt iusti essent à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia iustificari, veritas christiana non dubitat: sine in iis iustis, quos sancta Scriptura commemorat, sine in iis iustis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt; vel ante diluuium, vel inde vsque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solum in filiis Israël, sicut fuerunt Propheta, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Job.*

Hæc tamen verba non solum nostram, sed omnium ferè sententias impugnant videntur, cum non solum in lege gratiæ, sed in lege scripta, & in lege etiam naturæ eam fidem explicitam exigat; & quidem explicitam non solum de vno mediatore, sed de modo redemptionis per carnis assumptionem, mortem, & resurrectionem, quam fidem ita explicitam, in omni tempore nemo exigit de necessitate medij. Quare ego magis crediderim, Augustinum in longè diuerso sensu ponere necessitatem ita vniuersalem illius explicitæ fidei; nimirum in eo sensu, in quo in Symbolo Athanasij dicitur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.* Cum tamen non omnia, quæ in eo symbolo continentur, debeant necessariò à singulis fidelibus explicitè credi, vel cognosci, vt constat: dicitur tamen necessaria illa fides, quatenus sine peccato infidelitatis negari non potest. Qui sensus in verbis Augustini colligi potest ex contextu in capite præcedenti, & subsequenti, ex quibus constat, totum illum Augustini discursum esse contra aliquos Pelagianos, qui contendeabant, controuersias illas de peccato originali, & de necessitate gratiæ non esse, circa res ad fidem pertinentes, sed circa aliquas questiones ad fidem non necessarias. Augustinus verò id impugnat & dicit, res illas esse ad fidem pertinentes, & non esse sicut questionem de paradiso, vbi sit, vel alias similes, quas enumerat; sed esse tales, sine quarum fide nemo vnquàm iustus esse potuit, hoc est, illas negando (vt volebant illi hæretici) quia semper fuerant sufficienter reuelatæ: quod probat, quia etiam olim multi petebant liberari à peccato, in quo concepti fuerant, & confitebantur diuinitatem Christi venturi, vt ex multis Scripturæ locis ostendit, ex quo exemplo peccati originalis colligitur rursus Augustini mens: nemo enim dicit, fuisse olim necessariam necessitate medij fidem explicitam peccati originalis: non ergo de eo necessitatis genere loquitur; sed de illa necessitate, quæ ad intentum præsens spectabat, nimirum, qua veritates illæ nunquam salua fide negari poterint, hoc enim solum hæretici volebant, quod salua fide in iis posset quilibet in alteram partem liberè opinari.

Opponi

103 Opponi etiam solet auctoritas S. Thomæ in præsentis quæst. 2. art. 7. & 8. vbi asserit esse necessariam fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis. Verum S. Thomas expressè loquitur de necessitate præcepti; nam in art. 7. in corpore eodem modo docet teneri hominem credere explicitè articulos Christi omnes, qui solemniter celebrantur, quod non potest intelligi de necessitate mediij, præsertim cum sæpe vtatur verbo illo *tenentur* quod propriè significat præceptum.

Nec etiam obstat Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* vbi inter præcipuas dispositiones ad iustificationem ponit fidem explicitam redemptionis per Christum. Nam certum est, non omnes dispositiones ibi positas esse necessarias necessitate mediij. Sed Patres numerasse eas, quæ regulariter solent interuenire, vt notauit etiam Suarez *dicta sess. 4. num. 22.*

104 Lorca *vbi supra membr. 2.* asserit duas rationes contra nostram sententiam. Prima est, quia baptismus est necessarius necessitate mediij, sed baptismus est professio explicita fidei Christi, ergo fides Christi explicita est necessaria necessitate mediij. Vnde quæque claudicat hæc ratio, nam baptismus non est professio explicita Christi, cum constet posse validè suscipi ab eo, qui omnino ignorat Christum, licèt eo ipso implicite Christum profiteatur. Deindè baptismus in re susceptus non est medium necessarium ad salutem, sed in re vel in voto.

Secunda ratio est, quia ex nostra sententia sequeretur Iudæum vel Gentilem saluari posse, seu aliquem non Christianum; nam posset habere fidem supernaturalem vnus Dei, & ignorare inuincibiliter Christum, & per consequens nõ esset Christianus, quia Christianus dicitur aliquis propter notitiam Christi, quam habet. Consequens autem videtur esse durissimum, & contra Pontificem in extra. *Vnam sanctam*, de maiorit. & obed. & in *c. firmiter*, de summa Trinitate, vbi dicitur extra ecclesiam non esse salutem. Respondetur, illum casum ex natura rei non repugnare; illum tamen hominem non esse dicendum non Christianum, quia licèt visibiliter in Ecclesia non fuerit receptus, formaliter tamen & interiùs vnã fidem habitualement, & actualement habuit communem cum Ecclesia, & coram Deo cum Christianis numerabitur: de quo videri potest Iaculus 2. *p. christiana philosophia tract. 1. cap. 1. ad finem* & Suarez *sess. 4. num. 22.*

105 An fides explicita Trinitatis sit necessaria necessitate mediij.

Restat iam tertia difficultas, an fides explicita Trinitatis sit necessaria necessitate mediij. Affirmant quotquot id asserunt de Incarnatione, licèt non sit consequentia necessaria; nam licèt, ad credendam explicitè Incarnationem necesse sit cognoscere Patrem, & Filium; non tamen Spiritum sanctum, nisi ad quandam circumstantiam non omnino necessitate mediij necessariam, quod scilicet Christus conceptus fuerit de Spiritu sancto: nam si aliquis crederet Christum conceptum ex virgine sine opera viri, & cooperante Deo per amorem suum; crederet, quod per se spectat ad Incarnationem filij: Ex dictis ergo circa præcedentem difficultatem constat, Trinitatis fidem explicitam non esse medium necessarium ad salutem, tum quia nullum est fundamentum in scriptura, & Concilijs; tum quia mysterium obscurius & difficilius est, quàm Incarnatio, quare sicut Incarnatio explicitè cognita non est ne-

cessaria, vt medium, sic nec Trinitas personarum. Ita docent omnes adducti pro nostra sententia puncto præcedenti.

Quarta difficultas est vtrum fides vtriusque mysterij saltem in voto necessaria sit necessitate mediij ad iustificationem. Suppono, votum illius esse medium necessarium in adultis ad iustificationem, sicut votum aliorum præceptorum; quia cum ad iustificationem requiratur in adultis propositum seruandi præcepta siue formale siue virtuale inclusum in actu dilectionis, vel detestationis, &c. vnum autem ex iis præceptis sit credere explicitè hæc mysteria, non dubium, quia votum huius fidei sit medium necessarium adultis ad iustificationem. Difficultas tamen esse potest, an peculiari ratione possit dici hæc fides explicita medium necessarium in re, vel in voto, licet Sacramentum penitentia, & alia huiusmodi. Pro quo recolenda sunt, quæ dixi *diff. 3. de Eucharistia, sess. 1.* circa differentiam necessitatis mediij, & solius præcepti: quo supposito. Respondedo breuiter, fidem explicitam horum mysteriorum esse medium necessarium adultis ad primam iustificationem in re, vel in voto, quia vel ipsa fides, vel votum illius debet antecedere vt dispositio positua requisita ad primam iustificationem. Quod non inuenitur in alijs præceptis, nam licèt votum eorum sit dispositio requisita posituè influens in iustificationem. At verò hies horum mysteriorum exigitur per se ad primam iustificationem, vt per debitam preparationem intellectus disponatur homo melius ad iustitiam suscipiendam. Dixi autem *ad primam iustificationem*: hæc enim fides non exigitur quotiescumque homo post baptismum relabitur, & iustificatur per Sacramentum penitentia. At vero ad ipsam baptismum, & eius effectum requiritur per se fides explicita horum mysteriorum. *Matth. vltimo. Euntes docete omnes gentes baptizantes eas, &c. Marc. vltimo. Predicite Evangelium omni creature, qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit.* Vbi vides doctrinam, & fidem per se præcedere ad effectum baptismi, & ita habet Ecclesia vltis, vt priùs instruantur in fide, quàm baptizentur, vt constat ex Greg. 2. ep. 3. ad bonifacium & 6. synodo generali cap. 48. Clemente ep. 3. & alijs regularis de consecratione dist. 4. & licèt quis primò iustificetur post baptismum in sacramento penitentia, etiam tunc continetur hæc fides in voto vt medium per se requisitum ad gratiam illam quatenus etiam est effectus baptismi præcedentis: ad illam enim per se deberet præcedere hæc fides explicita: præcedit autem hæc fides non vt cunque, sed vt dispositio ad gratiam: disponit enim per modum meriti de congruo, & per consequens, vt medium per se requisitum ad gratiam, quare quando non datur hæc fides explicita, præcedit saltem in voto, in quo non continetur solum, vt alia præcepta, sed aliquid, quod per se deberet præcedere vt medium requisitum ad illam gratiam: quod alijs præceptis non conuenit, vt alibi consideranti patebit. Vnde vltimo addere possit, vt notat cum Suarez *diff. 4. num. 18.* fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis esse in lege gratia, medium necessarium omnibus ad salutem, nam per se loquendo, debet hæc fides præcedere receptionem baptismi; si autem aliquando non præcedit, hoc est propter ignorantiam, vel impotentiam

potentiam, & per accidens: unde sicut dolor formalis de peccatis est medium per se necessarium ad iustificacionem, licet per accidens contingat aliquem iustificari per solam dilectionem Dei, in qua virtualiter continetur ille dolor: sic fides explicita horum mysteriorum potest dici medium necessarium ad salutem, licet aliquando possit non præcedere formaliter, sed virtualiter, & in hoc sensu possunt intelligi plura testimonia supra adducta.

107 Sed potest dubitari, quomodo verum sit, hanc fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis esse medium necessarium ad salutem, cum possit per se loquendo, homo iustificari ante baptismum per actum contritionis, quo casu, licet præcedat votum illius fidei explicita, sicut votum aliorum præceptorum, non tamen necesse est, præcedere ipsam fidem explicitam horum mysteriorum, neque etiam votum illius, ut alicuius, quod per se loquendo debuit præcedere ante iustificacionem. Respondere tamen possumus, non esse quoad hoc maiorem difficultatem de fide illa explicita, quam sit de ipso baptismo: sicut enim baptismus est medium necessarium ad salutem in re, vel in voto, quia vel baptismus realis, vel saltem votum illius debet præcedere iustificacionem, & quia quando percedit sine baptismus, siue votum illius, positivè concurret, & directè ad iustificacionem; sic dicendum est, de fide illa explicita, quæ necessaria est eodem necessitatis gradu, quo baptismus, loquendo de adultis; cum enim fides illa per se præcedere debeat baptismum, nisi per accidens ignorantia, vel inadvertentia, aut impotentia ex ulter, consequens est, ut sicut baptismus est necessarius, sic & fides illa, quæ baptismum præcedere debet, & sicut votum baptismi supplet pro baptismo, ita & votum illius fidei, quod includitur in voto baptismi, supplet pro eadem fide explicita: & sicut baptismus re ipsa positus conducet positivè ad salutem, & votum illius conducit etiam positivè; & ideo verè dicitur baptismus esse medium necessarium in re, vel in voto: ita fides illa explicita conducet positivè ad salutem, cum semper esset bona, & meritoria de cõgruo, & votum illius conducit etiam positivè, atque ideo verè dicitur fides illa explicita esse medium necessarium ad salutem in re, vel in voto. Denique sicut iustificatus ante baptismum, debet postea illum recipere, quia per votum illius tanquam mediij necessarii iustificatus fuit: ita iustificatus ante fidem illam explicitam debet postea cessante ignorantia, vel impotentia, eam habere, quia per votum illius tanquam mediij necessarii iustificatus fuerat. Quare eadem est ratio de necessitate baptismi, & de necessitate illius fidei, & sicut baptismus, ita & illa dici potest medium necessarium ad salutem, in re, vel in voto.

SECTIO V.

An fides explicita Dei remuneratoris sit necessaria necessitate mediij.

108 **A**ffirmant communiter Theologi propter illud Pauli ad Hebr. 11. *Crederet enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Vbi Apostolus ex eo quod Henoch placuisset Deo, infert ipsum habuisse fidem. *Card. de Lugo de Virtute Fidei divina.*

dem, sine qua impossibile est placere Deo, quod probat, quia accedentem ad Deum oportet credere, &c. quem locum affert Tridentinum sess. 6. cap. 6. commendans fidem, quæ disponit ad iustificacionem, de hac, inquit, dispositione scriptum est accedentem ad Deum oportet credere, &c. Veruntamen Concilium ibi aliquas dispositiones ponit, quæ non semper necessariò exiguntur.

Contra hanc communem sententiam aliqua fieri solent obiectiones, quæ facile dissolvuntur. Videatur Suarez *disp. 12. sect. 3. num. 4. & sequentibus.* Coninch. *disp. 14. num. 115. & sequentibus.* & Hurtado *disp. 41.* quæ alios referunt. Vnica restat ex supradictis difficultas non exigua, quia ad iustificacionem extra Sacramentum sufficit dilectio Dei super omnia: hæc autem haberi potest ex fide, quæ credimus Deum esse in se summè bonum, vel sapientem, vel potentem &c. Charitas enim non alligatur ad beneficentiam Dei, aut ad aliquod peculiare attributum, sed ad omnia, & ad singula potest tendere: ergo licet aliquis non cognoscat explicitè Deum, ut remuneratorem, potest eum diligere super omnia, & per consequens iustificari, item ad iustificacionem in Sacramento sufficit attritio, seu dejectionis peccati propter eius sceleratam, & turpitudinem: hæc autem potest cognosci & credi non cognito explicitè Deo, ut remuneratore; ergo sine fide explicita remunerationis potest haberi iustitia.

Hæc difficultas (meo iudicio) grauior est, quam ut ab auctoribus in præsentia debuisset omnino præmitti, sicut verè prætermittitur. Neque enim dicere audeam, hominem qui Deum propter eius infinitam perfectionem super omnia diliget, & (si necesse est) ideo peccata detestetur, non iustificari, cum scriptum etiam sit: *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Nec tamen aliunde audeo enervare Pauli testimonium supra adductum, quod ab omnibus accipi video, de necessitate mediij, non solum ad perseverandum diu in obseruantia legis, sed etiam ad iustitiam accipiendam.

Dicamus, si placet, iuxta doctrinam superius traditam hanc impossibilitatem esse quidem morale ortam ex difficultate, quam post peccatum habet homo ad diligendum Deum plusquam se ipsum: mansit enim aded ad se, suæque propensio, ut difficillimum sit ei se à se ipso omnino abdicare; & licet per auxilia gratiæ hæc difficultas magnopere minuatur: ipsa tamen auxilia non disponunt hominem ita instantaneè, ut ex peccatore fiat diligens Deum super omnia sine interuentu aliarum dispositionum, nam licet facile sit Deo subito honestare pauperem; hæc tamen mutatio fit per dispositiones proportionatas, quæ incipiunt ab amore bono sui ipsius, à timore gehennæ, à desiderio beatitudinis, ut tandem ad Dei dilectionem perueniant; ideo enim dicitur Eccles. 1. *Radix sapientiæ est timere Dominum:* illius scilicet sapientiæ, de qua ibidem dicitur. *Dilectio Dei honorabilis sapientiæ;* & Eccles. 25. in vniuersum dicitur: *Timor Domini initium dilectionis eius.* Quia planè nisi homo aspiciat in remunerationem, & in pœnam, non poterit ad Dei dilectionem peruenire: *Qui enim* (ait Theodoretus super prædicta verba Pauli ad Hebr.) *non hac ita habere crediderit, virtutis labores non sustinet: neque enim agricola in agro colendo sudores toleraret, nisi se laborum fructus relaturum speraret, ita etiam gubernator ad portum respiciens, multos labores*

Propositus
difficultas.

109

110

C c